

Lib. xv. ¶ Qui sunt illi qui remanent ad sarcinas compede copulationis uxoriæ devincti ? Nisi quidam Christianæ plebis, quibus committitur sarcina custodiendæ legis, forma videlicet; simplicis eruditionis, per quam procurat familiam suam. Non enim est parvæ laudis, hominem habere conjugem suis imperiis parentem, et filios habere subditos disciplinæ spirituali. Qui cum profunda mysteria sacrarum Scripturarum ob tarditatem ingenii nequeunt penetrare, circa simplicem intellectum historiæ jubentur degere. »

**A** Codex quidem Lambethanus nullius auctoris nomen præfert. Ab abbe tamen quodam Pratellino conscriptum fuisse opus, ex ipso epistolæ nuncupatoriaæ initio constat. Richardum abbatem fuisse docet codex ms. in monasterio Pratellino asservatus ; e quo descriptam præfatoriam ad Anselmum epistolam Gerberonius evulgavit in nupera operum Anselmi editione, pag. 451. Richardum denique istum de Dumellis cognomen traxisse indicant fratres Sammarthani, tom. IV, pag. 756.

## **RICHARDI DE DUMELLIS**

### EPISTOLA AD S. ANSELMUM CANTUARIENSEM

Commentarii sui in Genesin nuncupatoria.

(Vide inter Epistolas S. Anselmi, lib. iv, ep. 102, *Patrologiaæ t. CLIX, col. 251.*)

ANNO DOMINI MC

## **ALBERICI**

### OSTIENSIS EPISCOPI

### EPISTOLA

Ad monachos monasterii S. Orientii Auxitanensis, de concordia inter archiepiscopum Auxitanensis Ecclesiæ et S. Orientii monasterium.

(De BRUGELLES, *Chron. de l'Eglise d'Auch*, Preuves, 11<sup>e</sup> partie, p. 49.)

ALBERICUS, Dei gratia Ostiensis episcopus, apostolice sedis legatus, fratribus monasterii S. Orientii Auxitanensis salutem et gratiam concordiam maxima ex parte inter reverendissimum dominum archiepiscopum Auxitanum, et priorem vestrum; secundum gratiam et benevolentiam suam reddidit vobis ipse, et se de cætero monasterium S. Orientii velle diligere, honorare, et sustentare, præsentibus episcopis et abbatibus, in præsentia nostra apud Senonicas repromisit; ad reparationem quoque monasterii vestri usque ad decem annos populorum

B conventum in unoquoque anno congregabit : ex actiones omnes tam in præsbyteros quam in cæteros clericos omnino remisit : quod si comes de omnibus vestris aliquam novam consuetudinem exegerit, dominus archiepiscopus cum eo minime participabit; sed et de ipso comite sicut et de aliis querimoniis vestris faciet quod justitia dictaverit. Hoc autem fecimus, salvo in omnibus jure cæteri vestri, et cæteris querelis vestris, donec Hugo abbas hanc concordiam stare concesserit.